AD REVERENDISSIMUM PATREM

D. FELICEM MARIAM NERINUM

CONGR. MONACHORUM S. HIERONYMI DE ITALIA

ABBATEM GENERALEM

EPISTOLA.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

D. FELICI MARIÆ NERINO

CONGR. MONACHORUM S. HIERONYMI DE ITALIA

ABBATI GENERALI

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.

DUm læto adhuc plauſu conſonarent Caſinenſis montis nemora omnia, pariterque Brixianorum lacuum, & fluminum littora ob vindicatam a me indubiis Monumentis ex hac ipſa urbe deprompſis perennem Sanctorum Benedicti, & Scholaſticæ Corporum manſionem in ejus montis Cœnobio, totius Benedictini mei Ordinis capite, & fonte, ſorte æque proſpera hiſce diebus meas ad manus Florentia pervolarunt paris pretii Monumenta. Ea ſcilicet, quæ palam faciant, primævam Hieronymiani Inſtituti originem, hactenus ſummopere obſcuram, Cœnobiolo cuidam *le Campora* vocato, & ad ejus Abbatiæ jura ſpectanti, in qua adoleſcentulus Benedictinis ſacris me addixi, perque annos quatuordecim literis vacavi, deberi. Jam intelligis, Rme Pater, me novis iſtis divitiis potitum præter modum gaudio exultaſſe, earundemque largitori gratias, quas potui maximas, reddidiſſe. Is fuit doctus Petrus Aloyſius Gallettus, Abbatiæ illius Bibliothecarius, veterumque chartarum ad illuſtrandam non ejus tantum loci hiſtoriam, ſed in univerſum Eccleſiaſticam atque Civilem indagator profecto ſolertiſſimus. Optabat quidem iſte tanto me munere afficiens, ut quoties cenſerem digna fore ea Monumenta, quæ meo juſſu Brixianis typis in publicum prodirent, paterer etiam iiſdem præponi nuncupatoriam epiſtolam jam a ſe concinnatam, meoque nomini inſcriptam. Cauſas ille ſui iſtius conſilii afferebat, quod diuturnam in Florentina Abbatia illa moram duxerim, quod eam urbem ſtudiorum meorum amantiſſimam altricem

atque parentem, velut alteram patriam, colerem atque diligerem, quod ejuſdem Abbatiæ regimen commiſſum mihi fuerit, ut primo Abbatis gradum accepi, ac demum quod Camporeenſis loci ſolitudo admodum jucundum privatis meis ſtudiis ſeceſſum parare conſueviſſet, quibus diebus per conſuetas ferias a docendi munere vacarem. Ego vero tam ſingulari comitati magis magiſque me devinctum profeſſus, ab eodem Patre Galletto impetravi, ut ſineret, eadem Monumenta Brixiæ vulganda, potius quam in meo, in tuo, Rm̃e Præſul, nomine comparere. Mei hujus deſiderii cauſas fruſtra facerem ſi hoc loco declararem; cunctis enim, qui mea iſta legerint, illico patebit, ſummo jure inſcribenda ipſa fore ſupremo Hieronymiani Ordinis in Italia Præfecto, ac præterea egregie merito de eo Ordine ex claris muneribus, quæ in eo geſſit, ex libro quem de Templo, & Cœnobio Sanctorum Bonifacii, & Alexii conſcripſit, ex Cœnobio illo penitus renovato, ac demum ex eodem Templo reædificato, me quidem ſumptus contribuente, at ipſo duce & auriga.

Accipe igitur æquo bonoque animo Monumenta quæ ſtatim afferam; neque enim ingratum Tibi futurum puto, quod ex iiſdem conſtet, Ordinis tui originem Italiæ omnino adſcribendam eſſe, non vero Bethlemitico Divi Hieronymi ſeceſſui, non Divæ Paulæ inſtitutis, non denique Prophetis. Quæcumque enim de ea origine prodiderunt Rainaldus, Bonannus, Fontana, jure Gallettus exiſtimavit ceu omnino commentitia habenda eſſe, aut ſaltem ambigua valde, & obſcura. Conſului ego præterea Martyrologium Hiſpanum, Marianæ Hiſtoriam, Præſidium Creſcentii Placentini, & alios quotquot ab Helyoto memorantur in Opere de Ordinibus &c., hoſque pariter Scriptores omnes a veritate longiſſime aberraſſe deprehendi ignorantia Annalium Camporeenſium, quibus profecto, ut dignoſces, nihil fidelius, nihil accuratius.

In

IN nomine Domini noſtri Ieſu Xpi & ſue ſanctiſſime Matris Virginis Marie & beati patris noſtri Auguſtini Epiſcopi & Confeſſoris & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei. Iſte liber eſt Capituli & Conventus Monaſterii Fratrum ſancte Marie de S. Sepulcro de prope Florentiam Ordinis S. Auguſtini. In quo ſcribemus omnia geſta & acta noſtri Ordinis & Monaſterii tam preterita quam preſentia & futura. Et fuit inceptus die xx. menſis Iunii anno Domini ab Incarnatione MCCCLXXI. per religioſum virum fratrem Benedictum Magiſtri Thedaldi Priorem dicti Ordinis & Monaſterii in decimo anno ſui prioratus. In quo libro ſpecialiter faciemus mentionem de principio & fundatione noſtri Ordinis & Monaſterii, de receptione Fratrum, profeſſione & fine eorundem, de emptionibus venditionibus pactionibus cum aliquibus civibus a quibus magnas recepimus helemoſinas pro conſtructione noſtri Monaſterii ac etiam de inſtrumentis factis & fiendis pro utilitate noſtri Ordinis nec non de omnibus aliis de quibus oportet ad perpetuam rei memoriam facere mentionem.

Ut de principio & fundatione noſtri Ordinis aliqualiter habeatur memoria curſim quantum memorie attinet in primis faciemus mentionem quod in anno MCCCXIII. videlicet anno quo magnificus & illuſtris Dominus Henricus Romanorum Imperator in Vico Boniconventus Comitatus Senarum laudabiliter & devote diem clauſit extremum, quidam iuvenis Bartholomeus Bononis de Piſtorio in predicta civitate Senarum cum ſuis conſanguineis & aliis multis ſuis civibus exiſtentibus confinatis zelo Dei accenſus & propoſito melioris vite provocatus cum aliquibus ſotiis eiuſdem propoſiti animatis deſerentes mundum parentes & propinquos cum alia mundi oblectamenta indutis vilioribus indumentis in deſertis & aſperimis locis arduam aſumpſere vitam. Et elongantes ſe a civitatibus & converſatione hominum a nobilibus Viris de Monte Raynaldo impetraverunt & obtinuerunt quemdam locum ad modum heremitorii valde devotum qui vocatur locus S. Michaelis de Monte Maione ſituatum in Territorio Albulæ Comitatus Florentie qui locus diſtat a predicta Civitate ſpatium miliorum viginti & a civitate Senarum duodecim & a civitate Aretina ſimiliter viginti.

In quo loco quantum ſecundum Deum laudabiliter predictus Frater Bartholomeus cum ſuis ſotiis per ſpatium xxv. annorum vel circa laudabiliter ad modum heremitarum vixerit melius puto ſilentio preterire quam ſemiplene & imperfecte dicere. Cum non ſolum in tota regione Chiantis & Vallis Arni ſuperioris ſed etiam in ſupradictis civitatibus & aliis locis fama ipſorum laudabilis vite perſonuit. Et de hoc fuerunt teſtes & adhuc ſunt multi Fratres optime vite quos predictus Frater Bartholomeus infra predictum tempus recepit.

Inter

Digitized by Google

Inter quos fuit Frater Petrus Corſini de ſancto Geminiano receptus in anno MCCCXX. Et Frater Bernardus Lippi de Florentia in anno MCCCXXIIII. & Frater Benedictus Magiſtri Thedaldi de Florentia & Frater Paulus Bindi de Senis & Frater Bartholus Thomati de S. Geminiano in anno MCCCXXV. & Frater Iacobus Ser Bandechi de Muſello & Frater Antonius Lapi de S. Geminiano & Frater Iohannes Naddi de Senis & alii quamplures qui omnes laudabiliter ſuam vitam duxerunt & concluſerunt excepto Fratre Benedicto Magiſtri Thedaldi qui adhuc ſupereſt in preſenti vita prior Ordinis & Monaſterii S. Marie de ſancto Sepulcro in quo modo ſumus & eſt auctor iſtius operis uſque in preſentem diem videlicet anno Domini MCCCLXXI. die XX. menſis Iunii.

Demum Frater Bartholomeus predictus utpote vir ſanctus & prudens volens diſcrete conſulere & providere utilitati & ſtabilitati ſuorum fratrum conſiderans quia predictus locus ſancti Michaelis de Monte Maione erat ſub ditione & dominio illorum nobilium de Monte Raynaldi & quales ab eis ipſe & fratres multoties ſuſtinuit perſecutiones timens & precavens in futurum infirmitates fratrum poſt ſuum obitum. Et videns quod in predicto loco non poſſet facere fundamentum & conſtruere Monaſterium ſub una de Regulis ab Eccleſia aprobatis circa annum Domini MCCCXXXIII. de menſe Septembrio, in quo anno videlicet IIII. die menſis Novembris Aque Diluvii inundaverunt Civitatem Florentiam cum ſuis amicis procuravit & emit a Dardano de Acciarolis de Florentia quoddam predium cum pluribus caſamentis & vinea & terra laboratoria pro pretio florenorum quadringentorum quinquaginta ut ibi poſtea ſicut fecit poſſet conſtruere Monaſterium in qua emptione ſteterunt fidejuſſores Acciarolus Domini Nicole & Donatus Iacobi de Acciarolis & inſtrumentum fecit ſer Salvi Dini Notarius de Florentia.

Poſtea Frater Bartholomeus predictus cum Frater Benedictus Magiſtri Thedaldi de Florentia & Frater Bartholus Thomati & Frater Antonius Lapi ambo de S. Geminiano anno videlicet MCCCXXXIIII. die XVIIII. menſis Aprilis Pontificatu SS.mi Domini Domini Iohannis XXII. anno XVIII. ſui Pontificatus ivit Senas & impetravit a Domino Iohanne Ghaetani de Urſinis Cardinale tunc temporis Legato in partibus Tuſcie pro Eccleſia Romana ibidem tunc exiſtente, licentiam conſtruendi Monaſterium in dicto predio empto a Dardano de Acciarolis ſupradicto cum Eccleſia altaribus campanili cimiterio & aliis neceſſariis officinis ſub vocabulo S. Marie de podio ſancti Sepulcri in quo ipſe & fratres poſſent vivere honeſte ſecundum Regulam beati Auguſtini cum habitu biſo videlicet Cappa, & Scapulare cum multis aliis gratiis privilegiis & immunitatibus prout apparet in ſuo privilegio eis conceſſo ſuo ſigillo cum cordula rubea communito & ſignato quod apud nos habemus repoſitum.

Sed

Sed cum predictus Dominus Iohannes Legatus vellet omnia predicto Fratri Bartholomeo & ſuis ſotiis benigne conceſſa executioni mandare commiſit per ſuam auctoritatem Venerabili patri D. Petro Dei gratia Epiſcopo Marſicano predicti Dñi Iohannis Cardinalis Legati Cancellario, recipiendi dotes quas predictus Fr. Bartholomeus pro conſtructione dicti Monaſterii tradere diſponebat ac etiam in dicto Monaſterio Monachos creandi & ipſis Monachis habitum conferendi ad Regulam B. Auguſtini predicti ipſius Domini Legati auctoritate recipiendi, Priorem ex eis quem nominaverint & elegerint Monachi predicti confirmandi & preficiendi ſecundum ritum Eccleſie licentiam conceſſit & plenariam facultatem in his & aliis conceſſis eiſdem vices ſuas plenarie committendo. Et predicta omnia fuerunt acta Senis infra domos Epiſcopales coram multis teſtibus ſub anno Domini MCCCXXXIIII. Indictione II. die XXVIII. menſis Maii prout patet per publicum inſtrumentum ſcriptum manu ſer Simonelli Notarii predicti Domini Legati.

Item poſtea eodem anno Indictione & menſe die penultima menſis Maii coram multis teſtibus Frater Bartholomeus predictus conſtitutus in preſentia Domini Venerabilis Domini Petri Dei gratia Epiſcopi Marſicani ac etiam Cancellarii predicti Domini Iohannis Legati & in ſupradictis Commiſſarii ſpetialis fecit ſolepnem donationem de predicto ſuo predio cum domibus & terris & vineatis & laboratoriis cum omnibus ſuis iuribus & pertinentiis predicto Domino Cancellario & Commiſſario recipienti & ſtipulanti vice & nomine dicti Monaſterii ut patet publico inſtrumento ſcripto manu dicti ſer Simonelli Notarii predicti Domini Legati.

Poſtea incontinenter anno indictione menſe die et loco et teſtibus ſupradictis. Conſtitutus coram dicto Venerabili Patre Domino Petro Dei gratia Epiſcopo Marſicano Cancellario et Commiſſario ſupradicto predictus Frater Bartholomeus, Frater Benedictus, Frater Bartholus et Frater Antonius humiliter et devote ſupplicarunt eidem Cancellario et Commiſſario quatenus dignaretur eos in Monachos dicti Monaſterii ordinare perficere et creare et eos ad Regulam ſupradictam recipere et habitum Monachalem concedere. Qui pater predictus ſupplicationi eorumdem inclinatus predictis Fratribus ſupernominatis omnia conceſſit creans eos in Monachos tradens eis habitum et regulam beati Auguſtini & alia faciendo que in talibus requiruntur juxta ritum Eccleſie conſuetum.

Poſtea eodem die & anno ſupradicti Monachi cupientes habere caput & Priorem unanimiter & concorditer commiſerunt & compromiſerunt nominationem & electionem futuri Prioris Monaſterii antedicti in religioſum virum Fratrem Bartholum Thomati confratrem & commonachum antedictum.

Qui

Qui Frater Bartholus eodem anno menſe & die coram multis teſtibus Chriſti nomine invocato in Priorem dicti Monaſterii nominavit & elegit religioſum virum Fratrem Bartholomeum Bononis ſupradictum tamquam virum utique circumſpectum & ydoneum. Quam electionem prædicti confratres concorditer acceptantes ſupplicarunt eidem Fratri Bartholomeo predicto nominato quatenus dictam electionem & onus prioratus acceptare dignetur ob reverentiam Salvatoris & glorioſiſſime matris ejus. Et dictus Frater Bartholomeus confiſus de gratia Salvatoris electionem predictam de ſe factam ad laudem & reverentiam Omnipotentis Dei & glorioſiſſime Matris ejus & beati Auguſtini devotiſſime acceptavit.

Poſtea anno indictione & menſe die ultima menſis Maii Ven. in Chriſto pater & dominus D. Petrus Dei gratia Epiſcopus Marſicanus Cancellarius & Commiſſarius antedictus electionem predictam auctoritate ſibi commiſſa confirmavit & approbavit. Et de predictis omnibus conſtat publicum inſtrumentum ſcriptum manu Ser Simonelli notarii antedicti.

Item eſt ſciendum quod in predicto anno ſcilicet MCCCXXXIIII. die V. Menſis Junii predictus Prior Frater Bartholomeus cantavit & cantare fecit Miſſas in Eccleſia predicti Monaſterii Sancte Marie de podio S. Sepulchri & aliquot fratres induit habitum noſtri Ordinis prout poſtea infra in ſuo loco dicemus.

Item poſtea anno Domini MCCCXXXV. die XXX. Menſis Maii predictus Frater Bartholomeus prior cum ſuo Capitulo elegit per noſtrum Viſitatorem ſecundum privilegium nobis per D. Legatum conceſſum Ven. Virum D. Jacobum Abbatem Monaſterii S. Salvatoris de Florentia Ordinis Camaldulenſis. Quam viſitationem predictus Abbas die ſequenti ordinate perfecit.

Item eſt ſciendum quod poſt mortem Ven. & religioſiſſimi Viri Fr. Bartholomei primi Prioris & Fundatoris noſtri Ordinis de qua in ſuo loco ſpecialem faciemus mentionem cum ei ſucceſſiſſet religioſus vir Fr. Paulus Bindi de Senis in Officio Prioratus predictus Fr. Paulus Prior elegit per noſtrum Viſitatorem predictum D. Jacobum Abbatem Camaldulenſem. Quam Viſitationem predictus Abbas D. Jacobus ordinate fecit & explevit die XXXI. Menſis Maii anno Domini MCCCXXXVI.

Item notandum quod poſt mortem predicti Fratris Pauli olim Prioris noſtri Monaſterii cum ei ſucceſſiſſet in Officio Prioratus Religioſus vir Fr. Bartholus Thomati de S. Geminiano in anno Dñi MCCCXXXVI. die .XX. Menſis Decembris Ven. in Chriſto Pater & Dominus Dñs Frater Angelus de Ordine Predicatorum Epiſcopus Aquilanus per auctoritatem noſtri privilegii convocatus a Priore ſupradicto & a Fratribus dicti Monaſterii benedixit pro cimiterio noſtri

noſtri

Digitized by Google

ſtri ſupradicti Monaſterii Eccleſiam & Clauſtrum ante fores Eccleſie predicti noſtri Monaſterii.

Eſt inſuper ſciendum quod cum in Monaſterio ſupradicto ſic ſituato & fundato Fratres ibidem commorantes ex magna parte ex tiſi infirmitate deficerent & cotidie aliqui ex predicta infirmitate vexarentur ita quod non ſolum infirmi ſet etiam alii ex infectione predicta inficiebantur & jam pauci Fratres remanſerant in loco ſupradicto & multi accenſi zelo melioris propoſiti propter predictam infectionem non auderent ingredi Ordinem noſtrum. Timens Fr. Bartholus Thomati qui tunc temporis erat Prior dicti Monaſterii ne locus remaneret vacuus habitatoribus & per conſequens Ordo noſter deficeret habito prius cum ſuis Fratribus ſolepne conſilium premiſſis ante ad Deum multis Orationibus & demum conſiliis Medicorum & aliorum amicorum ad hoc concurrentibus deliberaverunt predictum Monaſterium cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis ad alium locum transferre ubi magis libere Fratres poſſent vacare divino miniſterio & Dei ſervitio. Et auxiliante gratia Salvatoris & auxilio bonorum civium emerunt Prior & Fratres predicti in anno Domini MCCCLXVIII. de menſe Junii prout apparet publico inſtrumento ſcripto manu Ser Berti Ser Dini de Petrognano a filiis Jani de Raugis pro pretio mille florenorum aur. & quinquaginta pro gabella Communis & aliis expenſis predium & ſitum in quo modo ſumus. Et tradita petitione pro licentia predicte permutationis Ven. Viro D. Matheo de Narnia Generali Vicario R. in Chriſto P. & D. D. Fr. Angeli Dei gratia Epiſcopi Florentini qui tunc temporis erat Neapolim vice Cancellarii Magnifici & Sereniſſimi Domini Luigii Regis Sicilie & Jeruſalem. Et ſupradictis expectatis ſuis deliberationibus & decretis cum pleno mandato ſcripto manu Ser Nicolai Notarii Scribe predicti Domini Epiſcopi & inſuper predicto Vicario Domino Matheo requiſita voluntate & licentia Ser Johannis Sacerdotis Rectoris Eccleſie S. Hylarii de la Fonte in cujus Parrochia predium ſupradictum in quo fundare Monaſterium intendebamus & habita licentia & ſuo beneplacito a predicto Ser Johanne Rectore Eccleſie S Hilarii ſupradicti prout apparet per publicum inſtrumentum ſcriptum manu Ser; Nicolai Ser Jacobi ſupradicti in anno Domini MCCCXLVIII. die XI. Menſis Januarii. Ac etiam predictus Vicarius habito conſilio cum Canoniſtis Phyſicis & aliis multis ſapientibus tam religioſis quam ſecularibus Priori & Fratribus ſupradictis Chriſti nomine invocato plenam & liberam conceſſit licentiam permutationis fiende de ſupradicto Monaſterio S. Marie de podio S. Sepulcri ad Monaſterium conſtruendum in quo modo ſumus S. Marie de S. Sepulcro de Columbaria cum omnibus juribus & privilegiis & gratiis olim conceſſis Fratribus ſupradictis per recolendam memoriam Ven. in Chriſto P. &

B D. D.

D. D. Johannis Gaethani Legati Sacroſanctæ R. E. in partibus Tuſcie. Et de omnibus ſupradictis conſtat nobis publicum iuſtrumentum ſcriptum manu Ser Nicolai Ser Jacobi Scribe predicti R. in Chriſto P. & D. D. Fr. Angeli Epiſcopi Florentini. In anno Domini MCCCXLVIIII. Indictione III. die ultima menſis Novembris.

Incepimus habitare conventualiter locum & Monaſterium ſupradictum S. Mariæ de S. Sepulcro de Columbaria die XVIII. menſis Novembris anno Domini MCCCL. Et in ipſa die fecimus Miſſam & alia Divina Officia cum magna ſolepnitate & letitia cantare.

Item poſtea in anno MCCCLII. die ultima Menſis Decembris cum honorabili proceſſione aſportavimus a loco veteri ad Monaſterium in quo modo ſumus Oſſa XXIIII. noſtrorum Fatrum defunctorum qui in predicto loco veteri fuerant tumulati & ea honorifice collocavimus poſt Tribunam Eccleſie ſupradicti Monaſterii novi.

Demum poſtea ut omnia ſupradicta majorem haberent auctoritatem & firmitatem Prior & Fratres Monaſterii ſupradicti procuraverunt & obtinuerunt a Capitulo & Collegio Canonicorum Majoris Eccleſie Florentine quatenus ipſi Canonici ratificarent & approbarent omnia facta et conceſſa de permutatione locorum ſupradictorum per Ven. Virum D. Matheum de Narnia Vicarium Generalem ſupradicti D. Fr. Angeli Epiſcopi Flor. Et ita concorditer fecerunt prout apparet in publico Inſtrumento ſcripto manu Ser Tini Ser Octomani de Muſello ſub anno Domini MCCCLV. Indictione VIIII. die ultima Menſis Octobris.

Item poſtea in anno Domini MCCCLVIII. die prima Menſis Maii Ven. in Chriſto P. et D. D. Fr. Auguſtinus de Ordine Heremitarum Dei gratia Epiſcopus Narnenſis per auct ritatem noſtrorum privilegiorum coram D. Petro Domini Thome de Corſinis Bartholomeo Pagni et aliis multis benedixit pro Cimiterio noſtri Monaſterii Eccleſiam Monaſterii cum territorio poſito poſt Cappella dicte Eccleſie et Plateam ante fores Eccleſie ſupradicte et hoc factum fuit cum magna celebritate et honorificentia.

Item ad perpetuam rei memoriam facimus mentionem quod Ven. in Chriſto P. et D. D. Petrus Dñi Thome de Corſinis de Florentia Epiſcopus Florentinus univit et incorporavit et tanquam membrum annexit noſtro Ordini et Monaſterio cum omnibus ſuis iuribus et pertinentiis ſpiritualibus et temporalibus Heremum S. Anne que eſt prope Pratum in ſua Florentina Dioeceſi ſubiiciens locum et Fratres ditioni et correctioni inſtitutioni et reformationi Priori Monaſterii S. Marie de Sancto Sepulcro. Et hæc unitio et annexio fuit facta per ſupradictum Dominum Epiſcopum in anno Domini MCCCLXVIIII. Inditione Octava die V. Menſis Decembris Pontificatus Dñi Urbani Pape V. anno VIII. coram multis teſtibus. Et de predictis conſtat nobis

bis publicum privilegium munitum ſuo pendenti ſigillo cum cordula et rubea cera ſcriptum manu Ser Landi Fortini de Ciconio Scribe prediċti D. PetriEpiſcopi Florentini in anno menſe et die ſupradiċto.

**Atque hic definit pars prima Chronici Camporeenſis aſſervati in Monaſterio Abbatia Florentina, ex cujus Archivo deſumpta pariter ſunt qua ſequuntur.*

Venerabilibus Religioſis Priori et Conventui Fratrum S. Mariæ de SanċtoSepulchro prope Florentiam in Chriſto nobis dileċtis

Petrus Cardinalis Florentinus

VEnerabiles Religioſi et amici chariſſimi. Noveritis quod nobilis vir Petrus Ferrandi Yſpanus heremita germanus Ven. Alphonſi Yſpani heremite et olim Gienenſis Epiſcopi diebus proximis ſupplicavit ſuo nomine et multorum de Partibus illis viam Dei ſequi volentium Domino noſtro Pape ut eiſdem dignaretur tradere unam de Regulis approbatis. Nos autem, qui preſentes eramus et promovebamus negotium mentionem fecimus de vobis veſtra Regula Conſtitutionibus et obſervantiis, quibus particulariter ut melius fieri potuit declaratis placuit Domino noſtro Pape ut prefati Petrus, et Socii ſub ſimili Regula Domino militarent. Quare chariſſimi placeat copiam Regule Conſtitutionum, obſervantiarum, et ceremoniarum que apud vos ſunt quam citius commode fieri poterit ſub veſtro nobis ſigillo tranſmittere. Speramus ſiquidem ex hoc animarum fruċtum non modicum ſequuturum propter quod cum ſollicitudine placeat prediċta tranſmittere ſuper veſtris beneplacitis reſcribentes ad que nos offerimus parati et Deum orate pro nobis. Scriptum Avinione die VIII. Menſis Oċtobris.

GRegorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dileċtis filiis Fernando Johannis de Canſteres Presbytero, Petro de Gualdafaiara. Fernando de Fuent Salida, Johanni de Sanċto Felice, Alphonſo de Jahen, & Fernando de Fontova laycis Toletane Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benediċtionem. Salvatoris humani generis D. N. Jeſu Chriſti vices licet immeriti gerentes in terris animarum ſalutem pro qua Salvator ipſe qui erat impaſſibilis & immortalis mirabiliter & miſericorditer faċtus homo dignatus eſt pati & ſubire acerbiſſimam mortem Crucis deſiderantes ab intimis piis votis eorum qui abnegantes ſe ipſos Crucem penitentie & voluntariarum erupnarum hujus Mundi tollunt ſpontanee & ipſum ſequuntur Dominum libenter annuimus eaque condignis gratiis & favoribus proſequimur gratioſe ut ipſi freti opportunis preſidiis nulla in via Dei ſentiant adverſa prepedia ſed dilatatis cordibus & expeditis corporibus certatim ſatagant apprehendere bravium bene currentibus repromiſſum. Sane petitio

pro parte veſtra nobis nuper exhibita continebat quod vos & nonnulli alii viri tam clerici quam laici nobiles & plebei Regnorum Caſtelle Legionis & Portugalie ac partium aliarum jamdudum relictis ſeculi pompis & mundanis diviciis abdicatis propoſuiſtis, inchoaſtis, & continuaſtis quandoque plures & quandoque pauciores, prout continuatis aſſidue in vita heremitica ſeu ſolitaria vivendo de fidelium helemoſinis Altiſſimo famulari intendentes in hujuſmodi vita perſeveranter manere & concludere dies veſtros. Et quod nuper ſaniori ducti conſilio & firmati propoſito meliori in tra clauſtra veſtrorum pectorum revolventes non eſſe bene tutum veſtrarum animarum ſaluti propria libertate potiri ſed fore ſalubrius proprium captivando arbitrium vos alicujus approbate Regule colligare vinculis ac ſubdere imperio Preſidentis ut ſicut pri us ſervi peccati fuiſtis in ſeculo ſic ſervituti Dei colla ſpontanea ſubmittentes ſitis liberiores juſtitie per obedientie holocauſtum in votis geritis aliquam approbatam Regulam, per cujus obſervantiam poſſitis in viam mandatorum Domini rectius & tutius dirigi profiteri. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis ut hujuſmodi Regulam de qua nobis videretur vobis dare & ad illius profeſſionem per aliquem ſeu aliquos diſcretos vos recipi vobiſque licentiam fundandi & conſtruendi aliqua Monaſteria ſive loca ſub ipſa Regula in quibus vos & alii qui inibi Regulam pro tempore profitebuntur eandem hujuſmodi famulatum quiete poſſitis impendere de benignitate Apoſtolica concedere dignaremur. Nos igitur qui propagationem Religionis intenſis deſideriis affectamus & libenter modos ſalvationis animarum ſtudio ſollicitudinis paſtoralis apponimus hujuſmodi veſtrum propoſitum plurimum habentes acceptum ac dignis laudibus commendantes *Regulam B. Auguſtini ſub qua Domino militabitis vobis tenore preſentium ſervandam in habitu & ſecundum ritum conſtitutiones ceremonias & obſervantiam Fratrum Monaſterii S. Marie de S. Sepulchro Ordinis ejuſdem S. Auguſtini Florentine Diœceſis de quibus uti laudibus ſumus fide digno teſtimonio informati per vos recipi ſuademus.* Et ut de hujuſmodi habitu notitia certior habeatur illum taliter deſignamus videlicet quod tunica ſit clauſa & ampla de panno albo, & groſſo ſeu vili cum manicis amplis & clauſis, ſcapulare vero, & mantellus fixus ex parte anteriori ſint de panno griſeo ſeu burello nullo tincta colore. Ipſum autem Mantellum non intelligimus eſſe de neceſſitate, ſed honeſtate habitus prelibati, ſed illum deferetis cum in publicum procedetis. Vobis quoque fundandi quatuor Monaſteria ſeu loca Conventualia videlicet ſingula eorum cum Eccleſia Cimiterio & humili campanili unaque campana & clauſtro ac neceſſariis Officinis in locis ad hoc honeſtis & aptis dotanda pro tempore de helemoſinis & largitionibus piis fidelium ſeu jam fundata ſi forſan vobis jam canonice collata ſint vel in poſterum con-

fe-

Digitized by Google

ferantur vel alias per vos juſto titulo acquirantur auctoritate predicta licentiam elargimur, jure tamen Parochi aliarum Eccleſiarum & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. *Et quia ad B. Hieronymum Confeſſorem & Doctorem Eccleſie qui primo incoluit heremum & deinde in Monaſterio cum Fratribus perpetuo habitavit ſpecialem devotionem vos aſſeruiſtis habere & ſub ipſius venerando vocabulo cupitis nominari vobis concedimus quod Fratres ſeu Heremite S. Hieronymi appellari poſſitis.* Volumus autem quod ſingulis hujuſmodi Monaſteriis ſinguli poſſint Priores a ſuis Conventibus modo Canonico eligendi & a locorum dioeceſanis confirmandi eorumque officium duret per triennium dumtaxat quo elapſo alii idonei vel ipſi de novo eligantur & ut premittitur confirmetur. Per hec tamen vos ad ſervandum per omnia ritum conſtitutiones ceremonias & conſuetudinem prefati Monaſterii de S. Sepulchro non intendimus coarctare quin imo permittimus alias conſtitutiones non diſcrepantes a jure vel predicta Regula prout alias de jure fuerit de quibus vobis videbitur licite facere valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre ſuaſionis deſignationis licentie conceſſionis voluntatis & promiſſionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei & B. B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinione Idibus Octobris Pontificatus noſtri anno tertio.

Alphonſus de Guadalfaiara heremita Presbyter Toletane dioeceſis olim Epiſcopus Giennenſis licet indignus dilectis ac devotis in Chriſto Priori & Fratribus Monaſterii S. Marie de Campis in loco del Poggiolo Florentine Dioeceſis ſalutem in ſanguine Crucifixi qui eſt omnium vera ſalus & ablutio plenaria omnium peccatorum. Hinc eſt quod cum pridie Sanctiſſimus in Chriſto P. & D. noſter D. Gregorius divina providentia Papa XI. dediſſet in mei preſentia & aliorum habitum *Ordinis veſtri* Fratri meo carnali ſcilicet Fratri Petro de Guadalfaiara heremite ſuis propriis manibus & recepiſſet tunc ab eo profeſſionem expreſſam quod ipſe viveret ſub Regula & ſecundum Regulam B. Auguſtini *ſecundum ritum conſuetudines & obſervantias iſtius Monaſteri ſupradicti veſtri* dederitque eidem Fratri Petro auctoritatem & licentiam fundandi & plantandi in Regno Caſtelle quatuor Monaſteria *ſecundum ritum & conſuetudines & obſervantias predicti veſtri Monaſterii* ſub Regula ſupradicta cum certis gratiis & ptivilegiis valde benivole & gratioſe. Et quia ego in hoc attendebam mihi eſſe ad magnam conſolationem quod vos & veſtrum quilibet eſſetis in aliqua gratia ſpirituali conſolationis mee participes et ſodales ex eo quod *a Monaſterio veſtro ſumebat originem iſta nova plantatio* predicta ſub vocabulo S. Hieronymi que modo plantata fuit modo ſupradicto per D. noſtrum Papam in Hiſpania cujus plantationis eſt prima plantu-

tu-

Digitized by Google

tula cauſa et principium predictus Frater meus. Ideo ego tunc ſupplicavi eidem Domino noſtro quatenus dignaretur xv. Fratribus predicti Monaſterii veſtri plenariam indulgentiam concedere omnium peccatorum ſemel tantum in mortis articulo ut in forma. Prefatus vero Dominus noſter meis ſupplicationibus inclinatus predictam gratiam libenter ſtatim conceſſit vobis valde benivole et gratioſe cum hac tamen conditione quod quilibet veſtrum teneretur omnibus ſextis feriis unius anni computandi a die notitie predicte gratie infallibiliter jejunare. Etſi ex regulari obſervantia voto injuncta pœnitentia vel alias dictis diebus jejunare teneremini quod tunc alia die cujuslibet ſeptimane dicti anni predictum jejunium deberetur ſupplere ut in ſua litera hoc plenius continetur. Certum quod prefatus Dominus noſter mihi conceſſit auctoritatem et licentiam commutandi in aliam penitentiam dictum jejunium vobis et aliis perſonis omnibus pro quibus ego dictam gratiam plenarie indulgentie impetraveram ab eo in Curia iſta vice ſecundum quod mihi videretur conſideratis qualitatibus et abſtinentiis perſonarum. Et quod mihi conſtat vos in jejuniis magnis et abſtinentiis et aliis laboribus ſpiritualibus ſatis macerare corpora veſtra et ea in ſervitutem redigere ſecundum dictum Apoſtoli. Inſuper quod inter vos ſunt aliqui ſenes et aliqui debiles et infirmi. Ideo auctoritate predicti Domini noſtri Pape quam mihi conceſſit oraculo vive vocis et cuilibet veſtrum commuto dictum jejunium in hunc modum ut videlicet dictis ſextis feriis omnes ſimul in Choro vel alibi illi qui ad alia negotia vel loca fuerint tranſmiſſi flexis genibus ſeptem pſalmos cum Letania etc. et quinque Pater noſter cum quinque vicibus Ave Maria ob reverentiam plagarum Domini noſtri Jeſu Chriſti et paſſionis ſue ac etiam in remiſſionem peccatorum veſtrorum dicere teneamini et hoc faciendo ad dictum jejunium non ſitis aſtricti. Quod ſi ex oblivione vel ex alio impedimento legitimo dictam Orationem non dixeritis prefata die tunc aliquando alia die hanc omnem implere debeatis. Alioquin predicta gratia vobis nullius erit roboris vel momenti prout in litera Domini noſtri hoc plenius continetur. In quorum teſtimonium hanc literam mea propria manu vobis ſcripſi eamque meo nomine & ſigillo proprio roboravi. Scripta xi. die menſis Novembris anno Domini MCCCLXXIII.

Devotis Patribus meis Domino Priori & Fratribus Conventus Monaſterii S. Marie de Campis ſeu de Sancto Sepulchro ſub Regula S. Auguſtini degentibus prope Civitatem Florentie.

Alphonſus

Benedictus Deus in donis ſuis & ſanctus in omnibus operibus ſuis in ſecula ſeculorum. Patres venerabiles & chariſſimi Domini. Hu-

Humili recommendatione premiſſa in orationibus veſtris ecce veniunt ad vos nobiles & devoti viri Liſolus Caraccioli & Presbyter'. . . . ejuſdem Civitatis ex parte ſua & quorumdam ſuorum devotorum ſociorum ad videndum vos & veſtrum Monaſterium & ad informandum ſe de Regula & conſtitutionibus & obſervantiis veſtris regularibus cum deſiderio fundandi quoddam Monaſterium ſub eiſdem Regulis & obſervantiis ſi eiſdem fuerint grate & poſſibiles ad portandum & ibi intrare et religioſe vivere reddendo Altiſſimo vota ſua in animo contrito et ſpiritu humilitatis et penitentie. Unde quia inter Opera Charitatis hec eſt Deo acceptior ut ſeculariter viventes ad viam Domini convertantur et vivant ſimpliciter et innocenter ideo rogo vos et ſupplico humiliter toto corde ut eos benigne ſuſcipientes permittatis ſtare vobiſcum per aliquantos dies et tunc placeat vobis informare eos de omnibus obſervantiis ritibus et conſtitutionibus veſtris ut poſſint et ipſi contentari et ſociis ſuis expectantibus gratam et acceptabilem facere relationem ut ex hoc quaſi quedam porta aperiatur ad hoc quod ipſi fundent Monaſtèrium ſuum ſecundum Regulam et obſervantias veſtras et eorum exemplo multa alia Monaſteria ejuſdem profeſſionis per Regnum Apulee et Sicilie ad Dei honorem fundentur et ſemen iſtud poſſit afferre ſalutiferum fructum centeſimum in tempore opportuno. In hoc enim Deo ſervietis et inde facietis gratiam ſpecialem. Habeatis enim eos recomendatos in omnibus tamquam me ipſum veſtrum cordialem licet indignum & inhabilem ſervitorem precipientes mihi in omnibus fiducialiter tamquam veſtro. Altiſſimus Dominus vos conſervet & dirigat in beneplacito ſemper ſue ſanctiſſime voluntatis. Orate pro me recomendantes me ſervis Dei & orationibus ſuis. Scriptum in Cella ſancte Marie de Monte Corbo in Heremo Montis Crucis.

Veſter ſervus in Chriſto) Alphonſus heremita olim
) Epiſcopus Gienenſis indignus

Ad Venerabilem Patrem Alphonſum reſponſiva die IIII. Menſis Aprilis 1374.

Sit nomen Domini benedictum & ſue ſanctiſſime Matris amen. Reverende Pater noſter. Veſtre humilitatis & charitatis licteras & ipſorum delatores ſcilicet Liſolum & Presbyterum Robertum de Neapoli ob Dei reverentiam & veſtre paternitatis animo letabundo ſuſcepimus reverenter. Sed in ipſorum Negotii proſecutione tamquam ex omni parte rudes tepidi & cum modico ſatis fervore proceſſimus & negligenter. Et de hoc humiliter a veſtra benigna paternitate & ab ipſorum confraternitate petimus veniam cum affectu rogantes vos in Domino Jeſu Chriſto ut noſtre parvitati & modicitati fidei & charitatis parcatis cum ſimus parati ſemper ſecundum noſtram humilem

fa-

facultatem ad omnia vobis & ipſis grata. Oraculo autem vive vocis ab ipſis audietis qualia circa ipſorum factum dicta factaque fuerunt donec nobiſcum permanſerunt. Propter quod rogamus in Dño Jeſu Chriſto ut in preſenti negotio & aliis & nobis & ipſis occurrentibus in futuro ipſos & nos tamquam Kmos filios dirigatis & adjuvetis ut ſub ala & regimine Summi Paſtoris humiliter devote & quiete Domino Jeſu Chriſto dignum poſſimus reddere famulatum. Rogamus etiam ut nos & nobiſcum charitate conjunctos in veſtris & aliorum ſervorum Dei Orationibus vobiſcum commorantibus habeatis recomendatos precipientes nobis ſecure tamquam veſtris humilimis ſervitoribus ſi aliquando poſſumus facere veſtris placitis & voluntatibus vos & nos ſua gratia conſervet Altiſſimus qui redemit.

JOannes miſeratione divina Tituli Sancti Sixti Presbyter Sacroſanctae Romanae Eccleſiae Cardinalis Raguſinus vulgariter appellatus. Venerabilibus Viris Prioribus Fratribus & Conventibus locorum Sanctae Mariae de Sancto Sepulchro Florentinae ac Sanctae Mariae de Montemalbe Peruſinae dioeceſis in Regula B. Auguſtini profeſſis & nunc Ordinis ſub hujuſmodi Regula B. Hieronymi ſalutem in eo in quo eſt omnium vera ſalus. Dominicae plebis religio & obſervantia regularis ex debito rationis a Primatibus debent ſalutaribus praeſidiis confoveri. Pridem Sanctiſſimo in Chriſto P. & D. noſtro D. Gregorio divina providentia Papae XII. expoſito parte veſtra quod cum quamplures Heremitae in nonnullis partibus Hiſpaniae conſtituti quorum vita geſtus mores habitus atque opera creduntur apud patrem omnium refragare in eorum primordiis a Sanctae memoriae D. Gregorio Papa XI. ut aſſeritis de dono ſpecialis gratiae reportarint quod tunc de cetero cum nullum prefixum habitum ſeu ordinem vel etiam Regulam jam haberent, valerent & poſſent ſub Regula B. Auguſtini degere ac habitum ferre & alia obſervantiae facere regularis quae per vos Priores & Fratres praedictos tam Sanctae Mariae de S. Sepulchro quam S. Mariae de Montemalbe hujuſmodi tunc & nunc portabantur ſervabantur, laudabiliter portantur & ſervantur. Conceſſoque eis ab eodem D. Gregorio XI. ejus motu proprio quod poſſent licite et deberent tanquam in regulari habitu jam profeſſi Monachi ſeu Fratres S. Hieronymi perpetuo nuncupari aſſerens tam fructuoſi Doctoris Eccleſiae militantis & Fidei Orthodoxae videlicet B. Hieronymi merita glorioſa unam ſaltem Religionem ſub ejus nomine & vocabulo promereri, ut ex litteris ejuſdem D. Gregorii Papae XI. dicitur ſerioſius contineri. Demum pro parte etiam veſtra eidem Sanctmo D. N. D. Gregorio Papae XII. extitit humiliter ſupplicatum quatinus in augmentum Religionis veſtrae hujuſmodi titulum nomen & vocabulum ſcilicet B. Hieronymi ad inſtar dictorum tunc heremitarum nunc vero Monachorum ſeu Fratrum B. Hieronymi ſupradicti

qui

qui a vobis tam in habitu quam in Regulari obſervantia originem aſſumpſerunt dignaretur miſericorditer impertiri. Qui quidem D. N. Gregorius ſupradictus hujuſmodi veſtra poſtulatione plenarie intellecta nobis Johanni Cardinali praefato tunc in ejus præſentia conſiſtenti commiſit ſuae vivae vocis oraculo & mandavit quatinus circa praemiſſa ageremus & exequeremur prout videremus ſecundum Deum & rectam conſcientiam opus eſſe. Nos igitur Johannes Cardinalis & Commiſſarius ſupradictus attento religionis zelo vitaque & obſervantia Regulari quibus fulgentes vos tenemus Altiſſimo permaxime fore gratos ut ſub dicto nomine & vocabulo veſtra augeatur Religio felicibus incrementis & ſic eo amplius redeuntes ad Deum pro habitu & morum diſciplina coeleſtium aſſumendis confluant ad eandem vobis Prioribus & Fratribus ſupradictis & aliis a nobis dependentibus & coherentibus conſiſtentibus ubicumque & qui favente Domino volent impoſterum veſtrum Ordinem profiteri quatinus Monachi ſeu Fratres B. Hieronymi Doctoris utique glorioſi vocari & appellari poſſitis & debeatis ac dicamini dicanturque & appellentur hujuſmodi veſtri poſteri imperpetuum ac Ordo veſter ut Ordo Sancti Hieronymi ſubceſſivis temporibus dicatur reputetur & nominetur. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque auctoritate Apoſtolica nobis ut prefertur in hac parte commiſſa ac conceſſa tenore preſentium indulgemus. Quod ad perpetuam memoriam univerſis Chriſti Fidelibus Prelatiſque in quorum dioeceſibus veſtra conſiſtunt loca ad præſens vel pro tempore feliciter erigentur notum facimus per praeſentes. Datum Lucae ſub anno Natalis Dominici MCCCCVIII. Indictione I. Pontificatus Sanctmi in Chriſto P. & D. N. praefati D. Gregorii Divina providentia Papae XII. die vero XII. Menſis Junii. Has autem noſtras litteras fieri fecimus & ſcribi mandavimus per dilectum nobis in Chriſto Johannem Benedicti Clericum de Montepoliciano Secretarium noſtrum, ac etiam quia de preſenti proprio noſtro caremus ſigillo Reverendiſs. in Chriſto patris & D. D. Antonii Tituli S. Petri ad Vincula Praesbyteri Sacroſanctae Romanae Eccleſiae Cardinalis Bononienſis ac Sanctmi D. N. praefati Camerarii ſigilli quo utebatur in dicto ſuo Camerariatus officio & in minoribus conſiſtebat ad majoris roboris firmitatem impreſſione muniri & in fidem & teſtimonium omnium praemiſſorum.

Johannes de Montepoliciano dicti D. Cardinalis Secretarius ſcripſi.

C Annon

Annon ergo Tibi videatur, Rme Pater, hæc Monumenta hujuſmodi eſſe, ut juſte blandiri mihi valeam, in Hiſpania ipſa, Luſitania, aliiſque regionibus, ubi maxime floret Ordo Hieronymianus, par ſuffragium ipſa ad decus Abbatiæ meæ Florentinæ eſſe relatura, ac retuliſſe ab ipſiſmet Eruditis Pariſienſibus vindicias a me in medium allatas ad firmandam Caſinenſium meorum Monachorum poſſeſſionem didiciſti ex meis ad Cornelium Senatorem Venetum literis? At noveris (fatebor enim) cauſam aliam in iiſdem literis ſapientiſſimi illius Senatoris judicio magnopere probatam, de Bononienſis ſcilicet Collegii, Euſtachiani mei inſtar, inſtitutione multo magis mihi cordi eſſe quam cauſas, quas dixi, Caſinenſium, & Camporeenſium. Opus illud eo confidentius Vincentio Card. Malvetio enixiſſime commendare ſuſcepi, quo compertior mihi eſt inſignis ejuſdem pietas, ac facultas etiam idem Opus quam citius aggrediendi. Hæc ſiquidem ipſi ſuppetit ex Eccleſiæ ſuæ proventuum opulentia, ex Templi Cathedralis, Seminariique Clericalis conſtructionibus omnino perfectis, ex Tituli, quem ſortitus eſt, Æde omnino recens extructa, & undique ornata, ac demum ex aliquot pecuniæ ſummis, quas Bononiæ adhuc extare mihi conſtat paratas ad ſuſtentandam in ea Urbe familiam Inſtituti S. Vincentii de Paulo, cujuſmodi Operarios profecto depoſcit Collegium inſtaurandæ Cleri diſciplinæ, promovendoque ejus Ordinis decori inſtitutum; quibus omnibus emolumentis etſi deſtitutus Brixianus Antiſtes, cui magnum vectigal parcimonia eſt, Opus tamen illud, Deo bene juvante, ſuſcepit, atque perfecit, Presbyteroſque ejuſdem Inſtituti e Cremonenſi Urbe quater ſingulis annis mutuo acceptos curam gerere inſtituit Tyrocinii illius Clericalis. Ex iis ergo quæ dixi in lucro deputaturum Emum Malvetium ſpem meam quin ipſe impleat nullus dubito, nec etiam dubitare intellexi quotquot meas ad ipſum literas legerunt, Romæ præſertim, ubi non defuerunt

Pur-

Purpurati S. Sedis Senatores, qui cum Senatore Veneto ſuperius laudato veluti certarunt in mea illa parænesi commendanda. Porro in literis illis ea libertate ſum uſus, quam mihi præbere valuerunt anni, quos numero, viginti ſex Cardinalatus, ac triginta Unctionis Epiſcopalis; parumque abfuit, ut gratulationis officium, quo functus ſum in iis literis, ea ratione temperarem, quam oculis meis exhibebat Poli Card. Epiſtola recitanda in poſtremo Editionis meæ Tomo, qui modo ſub prelo ſudat. Scribens ille ad Bartholomæum Mirandam, ut primum a Philippo Hiſpaniæ Rege nominatus fuit Archiepiſcopus Toletanus, hæc habet: *Ego vero licet nunc tam amplam dignitatem, & tantas opes, quantas in univerſa Eccleſia, præter ipſum Summum Pontificatum, nullum Sacerdotium habet, hac nominatione Tibi delatas video, tamen nondum Tibi gratulari poſſum, nondum enim tempus eſt gratulandi. Regi vero ipſi, qui jus nominandi Epiſcopos in ſuis Regnis non ſine gravi quidem & periculoſo conſcientiæ ſuæ onere habet, maxime opportunum eſt gratulandi tempus, quo ab eo ſe periculo & onere liberavit.* Ego quoque, potiuſquam Archiepiſcopo Bononienſi, dicere potuiſſem, gratulari me Summo Pontifici, qui ſe a periculo, & onere Paſtorem ſuum eidem Eccleſiæ tradendi liberavit; ac deinde ſubdere cum eodem Polo in Epiſtola illa, *Tibi qui nunc primum graviſſimum onus es ſubiturus, quid gratulari poſſum, antequam videam, quo pacto in eo ferendo te geras? Quod ſi etiam videro, bene te in conſpectu hominum gerere, tamen nec dum tempus maturum erit tibi plene gratulandi; tum autem erit, cum omni labore in hoc tam periculoſo curriculo perfunctus, coronam tuam cum Senioribus illis ante thronum & pedes Agni mittes.* Equidem coronam miniſterii ſui ab Epiſcopis ante thronum Agni mittendam non aliam magis eſſe reor, quam ſi Clerum, cujus, dum initiaretur, capiti ſimilitudinem coronæ indiderunt, Chriſto Paſtorum omnium Paſtori offerant, ceu *agnum abſque macula;* holocau-

cau-

cauſtoque hujuſcemodi parando unice inſervire valet Collegium, de quo agitur. Id ipſum Tibi quoque, Rm̃e Pater, perſuaſum eſſe velim, etſi haud ſemel verbis, & ſcriptis profeſſus fueris ex iis quæ geſſiſſe me memoras nihil eſſe conferendum cum ædificatione Templi Alexiani, *ſi temporis*, *ſi loci*, *ſi perſonarum*, *ſi finis ratio habeatur*. Hæc Tu velut alter Cicero *pro domo tua*, ſcilicet pro ædificatione, cujus ipſe, ut ſuperius dixi, dux & auriga fuiſti. Vale.

Brixiæ die XXXI. *Maji an.* MDCCLIV.

A01 146 1186

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

D. FELICI MARIÆ NERINO

Congr. Monachorum S. Hieronymi de Italia

ABBATI GENERALI

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.

DUm læto adhuc plauſu conſonarent Caſinenſis montis nemora omnia, pariterque Brixianorum lacuum, & fluminum littora ob vindicatam a me indubiis Monumentis ex hac ipſa urbe depromptis perennem Sanctorum Benedicti, & Scholaſticæ Corporum manſionem in ejus montis Cœnobio, totius Benedictini mei Ordinis capite, & fonte, ſorte æque proſpera hiſce diebus meas ad manus Florentia pervolarunt paris pretii Monumenta. Ea ſcilicet, quæ palam faciant, primævam Hieronymiani Inſtituti originem, hactenus ſummopere obſcuram, Cœnobiolo cuidam *le Campora* vocato, & ad ejus Abbatiæ jura ſpectanti, in qua adoleſcentulus Benedictinis ſacris me addixi, perque annos quatuordecim literis vacavi, deberi. Jam intelligis, Rme Pater, me novis iſtis divitiis potitum præter modum gaudio exultaſſe, earundemque largitori gratias, quas potui maximas, reddidiſſe. Is fuit doctus Petrus Aloyſius Gallettus, Abbatiæ illius Bibliothecarius, verumque chartarum ad illuſtrandam non ejus tantum loci hiſtoriam, ſed in univerſom Eccleſiaſticam atque Civilem indagator profecto ſolertiſſimus. Optabat quidem iſte tanto me munere afficiens, ut quoties cenſerem digna fore ea Monumenta, quæ meo juſſu Brixianis typis in publicum prodirent, paterer etiam iiſdem præponi nuncupatoriam epiſtolam jam a ſe concinnatam, meoque nomini inſcriptam. Cauſas ille ſui iſtius conſilii afferebat, quod diuturnam in Florentina Abbatia illa moram duxerim, quod eam urbem ſtudiorum meorum amantiſſimam altricem

Annon ergo Tibi videatur, R̃me Pater, hæc Monumenta hujuſmodi eſſe, ut juſte blandiri mihi valeam, in Hiſpania ipſa, Luſitania, aliiſque regionibus, ubi maxime floret Ordo Hieronymianus, par ſuffragium ipſa ad decus Abbatiæ meæ Florentinæ eſſe relatura, ac retuliſſe ab ipſiſmet Eruditis Pariſienſibus vindicias a me in medium allatas ad firmandam Caſinenſium meorum Monachorum poſſeſſionem didiciſti ex meis ad Cornelium Senatorem Venetum literis? At noveris (fatebor enim) cauſam aliam in iiſdem literis ſapientiſſimi illius Senatoris judicio magnopere probatam, de Bononienſis ſcilicet Collegii, Euſtachiani mei inſtar, inſtitutione multo magis mihi cordi eſſe quam cauſas, quas dixi, Caſinenſium, & Camporeenſium. Opus illud eo confidentius Vincentio Card. Malvetio enixiſſime commendare ſuſcepi, quo compertior mihi eſt inſignis ejuſdem pietas, ac facultas etiam idem Opus quam citius aggrediendi. Hæc ſiquidem ipſi ſuppetit ex Eccleſiæ ſuæ proventuum opulentia, ex Templi Cathedralis, Seminariique Clericalis conſtructionibus omnino perfectis, ex Tituli, quem ſortitus eſt, Æde omnino recens exſtructa, & undique ornata, ac demum ex aliquot pecuniæ ſummis, quas Bononiæ adhuc extare mihi conſtat paratas ad ſuſtentandam in ea Urbe familiam Inſtituti S. Vincentii de Paulo, cujuſmodi Operarios profecto depoſcit Collegium inſtaurandæ Cleri diſciplinæ, promovendoque ejus Ordinis decori inſtitutum; quibus omnibus emolumentis etſi deſtitutus Brixianus Antiſtes, cui magnum vectigal parcimonia eſt, Opus tamen illud, Deo bene juvante, ſuſcepit, atque perfecit, Presbyteroſque ejuſdem Inſtituti e Cremonenſi Urbe quater ſingulis annis mutuo acceptos curam gerere inſtituit Tyrocinii illius Clericalis. Ex iis ergo quæ dixi in lucro deputaturum Em̃um Malvetium ſpem meam quin ipſe impleat nullus dubito, nec etiam dubitare intellexi quotquot meas ad ipſum literas legerunt, Romæ præſertim, ubi non defuerunt

Pur-

Digitized by Google

Purpurati S. Sedis Senatores, qui cum Senatore Veneto ſuperius laudato veluti certarunt in mea illa paræneſi commendanda. Porro in literis illis ea libertate ſum uſus, quam mihi præbere valuerunt anni, quos numero, viginti ſex Cardinalatus, ac triginta Unctionis Epiſcopalis; parumque abfuit, ut gratulationis officium, quo functus ſum in iis literis, ea ratione temperarem, quam oculis meis exhibebat Poli Card. Epiſtola recitanda in poſtremo Editionis meæ Tomo, qui modo ſub prelo ſudat. Scribens ille ad Bartholomæum Mirandam, ut primum a Philippo Hiſpaniæ Rege nominatus fuit Archiepiſcopus Toletanus, hæc habet: *Ego vero licet nunc tam amplam dignitatem, & tantas opes, quantas in univerſa Eccleſia, præter ipſum Summum Pontificatum, nullum Sacerdotium habet, hac nominatione Tibi delatas video, tamen nondum Tibi gratulari poſſum, nondum enim tempus eſt gratulandi. Regi vero ipſi, qui jus nominandi Epiſcopos in ſuis Regnis non ſine gravi quidem & periculoſo conſcientiæ ſuæ onere habet, maxime opportunum eſt gratulandi tempus, quo ab eo ſe periculo & onere liberavit.* Ego quoque, potiuſquam Archiepiſcopo Bononienſi, dicere potuiſſem, gratulari me Summo Pontifici, qui ſe a periculo, & onere Paſtorem ſuum eidem Eccleſiæ tradendi liberavit; ac deinde ſubdere cum eodem Polo in Epiſtola illa, *Tibi qui nunc primum graviſſimum onus es ſubiturus, quid gratulari poſſum, antequam videam, quo pacto in eo ferendo te geras? Quod ſi etiam videro, bene te in conſpectu hominum gerere, tamen nec dum tempus maturum erit tibi plene gratulandi; tum autem erit, cum omni labore in hoc tam periculoſo curriculo perfunctus, coronam tuam cum Senioribus illis ante thronum & pedes Agni mittes.* Equidem coronam miniſterii ſui ab Epiſcopis ante thronum Agni mittendam non aliam magis eſſe reor, quam ſi Clerum, cujus, dum initiaretur, capiti ſimilitudinem coronæ indiderunt, Chriſto Paſtorum omnium Paſtori offerant, ceu *agnum abſque macula;* holocau-

cau-

Digitized by Google